

Nicolai Restis Ragusini
ad Franciscum Barbarum epistula (a. 1451)

NEVEN JOVANOVIĆ

Tempore renascentium litterarum studebant multi epistulas siue a uiris clarissimis accipere siue ad ipsos dare, non solum ut commercio litterarum nuntios commutarent et amicitias conciliarent, sed etiam quo aliquid laudis inde sibi adsciscerent. Haud aliter fecerunt quidam de gente Croatica. Legitur ergo epistula quam Guarino Veronensi a. 1451 misit Iohannes Vitezius episcopus Waradiensis, ille Iani Pannonii auunculus. Ioanni Gotio Ragusino scripsit Angelus Politianus c. 1483. Litteras ad Tranquillum Andronicum Tragurinum (1519), ad Iacobum Banisium Corcyensem (1517 et 1519) direxit Desiderius Erasmus Roterodamus. Eadem Banisio scripserunt etiam Vlrichus ab Hutten (1518) et Bilibaldus Pirckheimer (1521), qui et ad Tranquillum epistulam dedit (1519). Postea miserunt suas Marcus Antonius Muretus Georgio Gozzio Ragusino (1577), Iustus Lipsius Andreae Dudithio ab Horehowitz (1584) et Francisco Mariae Sagri Ragusino (1603). Saeculo XVII iam exeunte ad Stephanum Gradium Ragusinum scripsit Ioannes Georgius Graeuius (1681).

Enimuero horum omnium prior, excepto Vitezio, epistulam suam dedit ad clarissimum uirum Franciscum Barbarum Venetum Nicolaus Restis Ragusinus. Epistula scripta est Ragusae, quae etiam Dubrovnik appellatur, “a. d. III. Idus Ianuarias MCCCLII”, id est die 11. mensis Ianuarii anno 1451.¹ Exemplaria manuscripta hodie duo asseruantur, unum in Bibliotheca Guarneriana ciuitatis Sancti Danielis Foroiuliensi (Guarner. 28, a. 1454–1460 scriptum; epistula legitur ff. 107v–108v), alterum in Bibliotheca apostolica Vaticana (Vat. lat. 5220, saec. XV, in ff. 4v–5v).² E manuscripto Vaticano epistulam edidit Angelus Maria Quirinus, cardinalis et bibliothecarius, in sylloge epistularum Barbari quae a. 1743 prodiit, ubi epistula sub numero 133 legitur.³

¹ Putabat Remigius Sabbadini, in *Centotrenta lettere inedite di Francesco Barbaro precedute dall'ordinamento critico cronologico dell'intero suo epistolario* (Salerno: Tipografia nazionale, 1884) diem notatum esse “more Veneto” atque ideo epistulam a. 1452, si usum hodiernum sequamur, scriptam, sed numquam Ragusae mos fastorum Venetus in usu erat.

² Francesco Barbaro, *Epistolario*, ed. Claudio Griggio, vol. 1, *La tradizione manoscritta e a stampa*, a cura di Claudio Griggio (Firenze: Leo S. Olschki, 1991), 72, 169, 261.

³ *Francisci Barbari et aliorum ad ipsum epistolae ab anno Chr. MCCCCXXV ad annum MCCCLIII. nunc primum editae* (Brixiae: excudebat Joannes-Maria Rizzardi, 1743), 196–198.

De Francisco Barbaro et Nicolao Restis

Franciscus Barbarus, patricius Venetus, uir toga sagoque aequa ac studiis humanitatis illustris, natus est a. 1390, mortuus autem 1454. Discipulus erat Ioannis Conuersini Rauennatis (qui olim Ragusae notarium publicum per triennium agebat 1384–87), Barzizze et Chrysolorae. Barbarus ipse Guarinum Veronensem Florentia Venetias deduxit, auream humanismi Veneti aetatem hoc facto aperiens. A. 1416 Barbarus librum *De re uxoria* uulgauit, qui Laurentio de Medicis dicatus laudes meruit uirorum doctissimorum, ut Zabarella, Pogii, Vergerii (opus simile, sed hodie desperatum, scripsit Benedictus Cotrugli Ragusinus, natus c. 1416, et adeo paene aequalis Nicolai Restis;⁴ librum Barbari in bibliotheca sua habuit Marcus Marulus Spalatensis, n. 1450, i. e. tempore quo Restis suam epistulam scripsit). Postea uertit Barbarus etiam Plutarchi *Vitas parallelas Catonis et Aristidis*. Semper magnam curam in comparandis ueteribus codicibus, maiora autem officia in uiros doctos exercuit. In administranda autem re publica Veneta domi forisque multis pacis et belli artibus excelluit, praesertim in Brixiana praefectura, qua functus est per quadriennium ab a. 1437 usque ad a. 1440, cum Gallico illo bello ciuitatem ab obsidione Picininiana liberaret. Venetiis a. 1449 Barbarus nomine et officio principis Senatus insignitus est, a. 1452 Diui Marci procuratoriam dignitatem suscepit.

Nicolaus autem noster Barbaro paene triginta annis iunior erat.⁵ Natus est enim circa a. 1418, nobili familia Ragusina, patre Pasquali (Pasko), equite Sigismundi regis Hungariae et poeta, matre, ut uidetur, e familia Bobalio.

Nicolaus Patauui iuribus studuit a. 1439, Ragusam reuersus est ante a. 1443. Vxorem duxit Margaritam Caboga a. 1444, ex qua tres filios—quorum secundi, Danielis, apud Venetos legati fungentis officio, meminit Aldus Manutius in litteris Ragusam ad Danielem Clarium Parmensem a. 1502 et 1503 datis—and duas filias suscepit. Nicolaus noster saepe mercaturas exercebat pannos textiles emendo et uendendo inter Venetias et paeninsulam Balcanicam; in re publica Ragusina officiis magistratum ciuilium

⁴ Librum suum *De uxore duocenda*, Volcio de Bobalio dedicatum, memorat ipse Benedictus Cotrugli in capitulo sexto libri *Della mercatura* (1458): “de uxore duocenda n’abbiamo fatto una opera singolare, altre volte a messer Volzo de Bobali, dove s’e detto difusamente in sermon latino d’ogni osservanza delle moglie et dell’officio loro, et dello allevare figliuoli et di tutti gli ordini che denno esser servati in ciascaduno della famiglia”.

⁵ In uita Nicolai Restis inuestiganda magnam opem mihi attulerunt duo Ragusini doctissimi et rerum historicarum peritissimi, Nella Lonza et Nenad Vekarić, quibus maiorem gratiam deboeo.

minorum fungebatur (erat e. g. in ciuitate officialis rationum communis a. 1446, 1451, 1453). A. 1448 poenas carceris unius mensis luere debuit quod cum Stephano Cossarichio, *herzegh* seu duce Sancti Sabbae (Stjepan Vukčić Kosača hodie uocatur), tunc temporis hoste rei publicae Ragusinae, agebat de quibusdam pecuniis nobili Volcio Blasii de Bobalio, socio Nicolai Restis, mutuandis.

Familiaris erat Iohannis Laurentii Regini Feltrensis, cancellarii communis Ragusae a. 1449–1471, qui ad Nicolaum dedit quinque epigrammata Latina, ubi eum hortabatur ut poemata sua iudicaret et ipse aliqua componeret, et insuper haud minus quam quattuordecim carmina uulgari Tuscorum sermone scripta. Apposuerat idem Reginus etiam Pasqualis Restis, Nicolai patris, qui a. 1438 e uiuis excesserat, tria epitaphia; uxor uero Regini, Katerina, ad Margaritam, Nicolai uxorem, sonetto uulgare scripsit.⁶

Mortuus est Nicolaus Restis ante d. 11. mensis Iulii a. 1454 (quo die testamentum eius publicatum est), aetatis suae anno prope tricesimo sexto.

Epistulae diuisia

Epistula Nicolai Restis ad Franciscum Barbarum missa in tres partes diuiditur. In praefatione excusat se Nicolaus quod iam satis longo interuallo ad Barbarum nihil litterarum dederit (“Si obliuione uel potius aliqua intermissione … ut saltem ad praesens aliquid tuae dignitati non scriberem”). Deinde nuntiat se apud principes Regni Hungariae (id est apud Ioannem Hunyadi) et apud despotem Rassiae (Georgium Branković) laudauisse Barbari mores, fortitudinem, rei militaris scientiam; quae omnia facile demonstrare potuisset Nicolaus, cum Barbarus ipse olim Venetiis ei *Commentariolos Brixenses* legendos tradidisset (“Ego his temporibus licet absens, tamen … subuerendum esse duxi”). Inter alia in hac parte mentio facta est legationis Barbari ad Sigismundum caesarem Germaniae, mense Septembri a. 1433 susceptae, qua functus est Barbarus cum aliis undecim patriciis Venetis dum post acceptam Romae coronam caesar Germaniae fines repeteret. Tunc Franciscus Barbarus orationem ad caesarem luculentam habuit magnamque nominis sui famam excitauit. Postremo rogat Nicolaus ut det ad se Barbarus litteras, unde sibi apud conciues magnam dignitatis accessionem speret (“Haec e multis tuae nobilitati referre … huic meo honori deesse uelis”);

⁶ Sonetto ille, in Rešetari editione sub n. 144, incipit “Se al sexo femenin fosse a Parnaso”. Delectum carminum Laurentii Regini et familiarium a. 1901 typis edidit Milan Rešetar e codice manuscripto qui postea periiit; v. “Pjesme Ivana Lovra Regina, dubrovačkoga kancelara XV. vijeka”, *Grada za povjest književnosti hrvatske* 3 (1901): 1-43.

sed utrum eo munere litterarum reuera donatus fuerit, nescimus. Meminit item Restis se Ragusae neque libellum *De re uxoria* neque *Commentariolos Brixenses Barbari* habere; quae obtainenda “domino Zachariae nostro”, ut scripsit, committere uellet. Zacharias iste—qui Barbaro, ut licet coniectari, bene notus est—erit potissimum filius ipsius, natus a. 1422–23, et adeo Nicolai Restis aetate paene aequalis.

Epistulae tempora et notitiae

Dicas nostrum Ragusinum nihil quam encomium, paulo diligentius elaboratum, ad uirum clarissimum sibi olim cognitum dare uoluisse. Verum memorant historici a mense Februario ipsius anni 1451, quo anno epistulam Restis componeret, rei publicae Ragusinae bellum illatum esse a duce Stephano Vukčić Kosača. Cum iam ab Iunio 1450 de pace retinenda actum esset, sed frustra, cumque eo bello Stephanus Kosača opem petuit a Venetis—a partibus Ragusinorum stabant Georgius Branković despota Rassiae (apud quem, ut scimus, Nicolaus Restis ablegatus erat) et Stephanus Thomas Rex Bosnae—his de causis res Ragusinae fortasse aliquanto adiuuandae erant opera Francisci Barbari, Senatus Veneti principis.

Historiae autem litterariae aetatis litterarum renatarum alicuius est momenti testimonium quod epistula Nicolai Restis exhibit de commentariis rerum Brixiae a. 1437–1440 gestarum.⁷ Putabat Angelus Maria Quirinus, editor epistulae Nicolai Restis, *Commentariolos illos Brixenses* opus ipsius Francisci Barbari esse, quamquam notum est iussu Barbari alium auctorem composuisse *Commentariolum de quibusdam gestis Francisci Barbari praefecti praesidii Brixiae in bello Gallico seu de obsidione Brixiae* 1438. Id commentariolum, quod plures quoque epistulas ipsius Barbari continet, confecit Euangelista Manelmus Vicentinus (m. post 1455); opusculum typis est editum a Ioanne Andrea Astezato, Brixiae 1728.

Sed utcunque id sit, opusculum siue *Commentariolorum* siue *Commentarioli* nominas, id nondum paratum esse ad diem 13. Augusti 1441 testatur ipse Barbarus in litteris ad Flauium Blondum tunc temporis datis (quas edidit Quirinus 1743, in Appendice epistolarum, sub n. III):

Franciscus Barbarus eloquentissimo Blondo suo salutem. Gaudeo Italiae historiam et tuam post tot clades utrinque acceptas, post tot duces captos, post fusos magis quam profligatos exercitus, ductu et auspiciis tuis ad finem

⁷ Nota quod in epistula “commentariolus” scribit Restis, genere masculino, et non “commentariolum”, genere neutro; ita fecerat iam sanctus Hieronymus, cuius cf. *Commentariolos in Psalmos*; ita fecit, ut mox uidebimus, Franciscus Barbarus ipse.

peruenire: nec ullum tempus aptius inueniri potuisset, quam finiti belli memoria deleta esse uideatur. ... *Commentariolos* illos *Brixenses*, ut tibi morem geram, diligenter, et saepius postulaui; nondum haberri potuerunt. Quamprimum autem licebit, dabo operam ut ad te mittantur. Vale. Veronae Idibus Augusti MCCCCXLI.

Cum scripserit Nicolaus Restis se *olim* Venetiis commentariolos Barbari legendos accepisse, cumque id opus nondum paratum sit mense Augusto 1441, Nicolaum scimus Ragusam reuertisse ante a. 1443, hoc Nicolai *olim* puto a. 1441–1443, fortasse ipsum annum 1442 significari. Vnde uidetur decennium intercessisse inter lectionem commentariorum Barbari et litteras nouas Nicolai.

Epistula haec porro docet Nicolaum Restis iam antea litteras ad Franciscum Barbarum dedisse; “Et praesens” inquit “et *per litteras* tuae spectabilitati saepissime feceram”. Paenitet tantum quod neque hae priores neque ulla earum uestigia seruantur.

Epistulae grauitas

Certum est epistulam a Nicolao Restis more saeculi sui scriptam esse, et eo genere quod appellabit “suasorium” Desiderius Erasmus, septuaginta annis post (1521–1522), in opusculo *De conscribendis epistolis*. Fauorem Barbari captat Restis tum excitando benevolentiam eius, propter diutius intermissam necessitudinis consuetudinem, tum praestantiam ingenii uirtutumque patricii Veneti laudando, tum in Pannonia et in Rassia suum de Barbaro amicissimum officium perfectum nuntiando. Et ipsa petitio ut rescribatur, qua epistula concluditur, laudationem continet, dum affirmat Restis litteras Barbari sibi magno honori futuras esse.

Suasoriam ergo epistulam mittebat iuuenis seniori, humilior magnificientiori; ideo auctor blanditiis multimodis usus est, persona sua modestissime extenuata, gloria Barbari undequaque amplificata. Quoniam autem persuadendum erat Nicolaum neque ingratum neque immemorem esse, id auctor non sine arte effecit, cum argumenti membra concinne seu symmetrice disposisset: “merito hominis *ingratissimi* nomen”, “tuorum in me beneficiorum *non immemor*”, “loquendo nomen praesumptionis quam silendo *ingratitudinis* mihi subuerendum esse”, “ut facilius Nicolaum tuum *nusquam immemorem* tuae dignitatis fuisse intelligas”.

Notandum est quod in sui extenuatione et Barbari amplificatione auctor persaepe superlatiuos adhibuit; cuius coloris abundantia quandoque in uitium uersa est. Sunt enim in epistula tota, quae uerba 533 continet, nihilo

minus quam 24 superlatiui. Ex eis alii superflui esse, alii non bene cohaerere uidentur. Ut sunt e. g. his in locis: “*saepissime* ad te meas litteras dare *destitisse*” (uerbum ipsum *saepissime* quater in epistula occurrit), “*satis* namque, ut opinor, ea mihi ad dicendum *notissima* esse poterant”.

Quandoque autem utitur Nicolaus uerbis quae nobis minus usitata uidentur; scilicet cum scribat *moresque singularissimos*. Quam locutionem etiam Philippus de Diuersis, qui de situ ciuitatis Ragusii a. 1440 scripsit, habet (“uerbi diuini singularissimus gratissimusque nuntiator”), aequae ac Petrus Crusith siue Kružić, capitaneus Segniae et comes Clissiae (qui apposuit uerba “protector meus singularissimus” in epistula a. 1526 scripta).

Legentes apud Nicolaum Restis *ad usque summum extollere*, recordamur Seruui in Artem Donati, ubi ille “*praepositio*”, inquit, “nouo modo sibi aliam coniungit *praepositionem*: dicimus enim, ut Vergilius *ad usque columnas exulat*”; coniunctione hac saepius poetae usi sunt, cum Romani (e. g. Catullus, Horatius—qui “*ad usque supremum tempus*” in *Sat. 1.1.97* scripsit—and Ouidius, Statius), tum plures auctores neolatini, inter quos sunt referendi natione Croatica Aelius Lampridius Ceruinus, Marcus Marulus, Ludouicus Paschalis, Benedictus Stay.⁸

Mira uideri possit etiam uerborum iunctura “in qua *omnis eximia* oratio latissime uersari potuisset”; eadem iunctura usus erat Franciscus Petrarcha in opere *De remedio utriusque fortunae* (a. 1354–1366 scripto): “ipse populus Romanus omnis eximiae fons atque exemplar historiae”. Meminisse debemus Petrarchae mentionem factam esse etiam in epigrammatibus Laurentii Regini ad Nicolaum Restis (quod uide infra).

Et alia iunctura bis in eadem epistula usus est Nicolaus; scripsit enim “*sollicite et frequenter* conditions uestri status inquirere solet” et mox “*extollere frequenter et sollicite* laudando non cessauit”. Phrasi ipsa imprimis auctores Christiani medii aeui usi sunt, e. g. sanctus Bonaventura (1221–1274; cf. *Incendium amoris*, c. 1: “considerandum est ergo sollicite et frequenter pensandum”; *Regula nouitiorum*, c. 7 de dormitione: “infirmos debes frequenter et sollicite uisitare”) et Ioannes Pecham (1230–1292, *Tractatus de anima*: “Et frequenter et sollicite cogitaui de quidditate amoris”) et Angela da Fulginio (1248–1309); *Visionum et instructionum liber*, instr. 18: “Quod si non potes reinuenire et rehabere cum corde, dicas sollicite et frequenter cum ore, quia illud quod sollicite et frequenter cum ore dicitur dat cordi et feroarem et calorem” siue “Quod si hoc non potes corde, saltem dicas

⁸ Auctorum Croaticorum loci similes examinari possunt in rete, in bibliotheca digitali cuius titulus est *Croatiae auctores Latini*, in Vniuersitate Zagrabensi parata, sub inscriptione interretiali www.ffzg.unizg.hr/klafil/croala inuenienda.

ore ea, quae pertinent ad passionem sollicite et frequenter"). Locutionis membra parauerat, ut uidetur, sanctus Augustinus, cum in *Dialogo quaestionum LXV* scriberet (quaest. 30): "Hoc enim si sollicite requiramus, in Scripturis sanctis frequenter reperimus". Apud Romanos tantummodo similia inuenimus, ut in *Bruto* Ciceronis: "audiui enim nuper eum studiose et frequenter Sami" (Cic. *Brut.* 156).

Sunt etiam quaedam in Nicolai litteris conspicua eo ipso quod non uisuntur; prorsus enim caret epistula eius sententiis et uocabulis ex lectione auctorum siue Romanorum siue Graecorum sumptis. Sed longe aliter alii cum ad Barbarum scriberent; e. g. Gotardus de Sarzana, qui litteras suas misit Genua VIII Idus Decembris eiusdem anni (in editione Quirini litteras Nicolai Restis proxime antecedunt), statim in principio hanc sententiam posuit: "Nam cum nihil ita naturae aptum sit ad res secundas uel aduersas uel, si pro sententia Ciceronis loqui uoluerimus, nihil melius a Diis hominibus dari, quam amicitia, potuerit, qui haec bona successoribus relinquit, omnem prudentiam charitatemque amplexus uidetur". Ex hac inopia exemplorum et illa elocutione quandoque minus apta non est necesse conici Nicolaum Restis sine studiis humanitatis fuisse—epistula eius a uulgato et indocto litterarum genere certe recedit—sed tamen Ragusinus noster uitiae actiuae deditior, ab otio et bibliothecis remotior fuisse uidetur.

* * *

In fine adiecta est editio epistulae Nicolai Restis ad Franciscum Barbarum. Textum ex editione Quirini sumpsimus, adhibita tamen ratione scribendi et interpungendi hodierna. Apposuimus porro quinque epigrammata Latina Laurentii Regini Feltrensis ad Nicolaum Restis scripta, quae Milan Rešetar e codice postea deperdito typis edidit a. 1900. In his quoque epigrammatibus edendis ratione scribendi hodierna usi sumus. Ordinem eorum paulisper immutauimus, cum, argumenta carminum seuti, n. 75 ante n. 74 ederemus.

Nicolaus Restis clarissimo equiti d. Francisco Barbaro s.

(Quirini 1743: n. 133)

Si obliuione uel potius aliqua intermissione tuae maximae in me benevolentiae his superioribus temporibus saepissime ad te meas litteras dare destitissem, merito hominis ingratissimi nomen, quod ab ineunte aetate

mea totis uiribus euitare conatus sum, profecto incurrerem. Sed quia illa tempora cum in partibus regni Rassiae tum etiam in Pannonia me pluribus incumbentibus causis detinuerunt, non parum dolui hanc causam me a scribendo tantum retardare potuisse. Quod tametsi interuallum iam satis longum uisum est, tamen et recordatione tuarum clarissimarum uirtutum et tui amplitudine nominis, quod iam in terris quamplurimis celeberrimum est, quam maxime commotus, alienum a professione mea (quam et praesens, et per litteras tuae spectabilitati saepissime feceram) esse duxi ut saltem ad praesens aliquid tuae dignitati non scriberem.

Ego his temporibus licet absens, tamen immortalium et plurimorum tuorum in me beneficiorum non immemor, cum apud principes regni Hungariae, tum etiam apud illustrem despotem Rassiae, qui sollicite et frequenter conditiones uestri status inquirere solet, tuae spectabilitatis amplissima gesta, tuam probitatem moresque singularissimos non dicam exornare, sed potius augere et ad usque summum extollere frequenter et sollicite laudando non cessau. Erant profecto complures illorum procerum qui cum caesare in Italiā olim descenderant, inter quos non uulgaris ex illa amplissima legatione uestra, sed praeclara tui nominis fama extiterat.

Euenit namque mihi ex tempore tam libenter quam etiam necessario in illum sermonem incidere quo illos accuratissime edocerem diuinam illam prouidentiam fortitudinemque tuam, laudatissimam rei militaris scientiam, quas omnes in ipsa Brixensi expeditione egregie ac splendide demonstrasti. Satis namque, ut opinor, ea mihi ad dicendum notissima esse poterant, quod ex commentariolis Brixiensibus, quos olim Venetiis, pro tua in me benevolentia, mihi tradideras legendos, illa studiosissime perceperam.

Quam equidem prouinciam mihi aequo animo assumens nescio an munus hominis officiosissimi an potius impudentissimi perfecerim, cum praeter uires meas rem grandem, in qua omnis eximia oratio latissime uersari potuisset, aggressus fuerim; sanctius tamen, cum ita rem opportunam offendisse, loquendo nomen praesumptionis quam silendo ingratitudinis mihi subuerendum esse duxi.

Haec e multis tuae nobilitati referre uisum est ut facilius Nicolaum tuum nusquam immemorem tuae dignitatis fuisse intelligas. Fatebor ingenue de tua gloria grauiora testimonia saepissime extitisse, fideliora uero aut tui amantiora numquam. Quae cum ita sint, ego pro tuis in me maximis beneficiis meaque in te plurima obseruatione magnopere a te amari et aliquando, cum a reipublicae curis laxatus aliquid temporis suppeditare poteris, tuis ornatissimis litteris uisitari exopto.

Quod si pro tua humanitate alterum impetravero, alterum uero iam impetratum conseruari intellexero, munus diuitiarum multarum pretiosius me adquisiuisse fatebor. Erit namque mihi hoc praestantissimum munus et ad animi iocunditatem et apud nostros homines ad memoriae dignitatem quam maximam, si in his partibus tua mihi scripta peruererint. Quamobrem te plurimum exorare ac magnopere obtestari non desinam ne clarissimam auctoritatem spectatissimi et pro maximis grauiissimisque causis a toto orbe terrarum cogniti atque probati uiri huic meo honori deesse uelis.

Dolui profecto saepissime et libellum uestrum de re uxoria et commentariolos Brixenses mecum ad has partes non attulisse, cum quibus plurimorum uota, ad quos illorum fama peruenit, adimplerem; quos ut haberem, domino Zachariae nostro causam committere statui.

Vale, pater patriae, et me tibi deditissimo in omni re tuo arbitrio uti uelis. Ex Ragusio III. Idus Ianuarias MCCCCLI.

Epigrammata Ioannis Laurentii Regini Feltrensis ad Nicolaum de Restis

(Rešetar 1901: nn. 71–75)

Ad Nicolaum de Restis patricium Ragusinum. Idem Ioannes Laurentius

Si fortasse cares albo, Nicolae, papyro,
Accipe; nam mitto; scribere nunc poteris.
Sed si scribendi tibi abest sincera uoluntas
 Charta nihil faciet, mortua charta manet.
Ingenio et manibus opus est, quibus uteris ipse 5
 Cum placet; ingenium sacra Minerua dedit.
Sed forte ingenium subtile ad magna reseruas,
 Despicis et mecum ludere carminibus,
Quod uix credo; tamen, si sic sententia firma est,
 Dic quod nostra nihil garrula lingua canat. 10

Ad eundem

Perdita clavis erat studii; quae inuenta dolorem
 Abstulerat, sed nunc me dolor alter habet:
Hospitibus mensa tibi quod, Nicolae, remotis
 Pollicitusque mihi non datur ille liber.
Seruius est sacri reserans arcana Maronis 5
 Quem carum retines, carmina nostri magis.

Restea carminibus nostris aeterna manebit
 Inclita progenies, cui decus esse potes.
 Ergo uale, et certe, tibi si mea metra placebunt,
 Promissus ueniet Seruius ipse mihi.

10

Ad eundem

Quod nouus ipse uelis fieri, Nicolae, poeta,
 Perpendi repetens carmina missa mihi.
 Prosequere et totis huic sacrae uiribus arti
 Inuigiles qua nil carius esse potest.
 Prouenit aeterna hac fama et post funera nomen 5
 Viuit et haec capiti laurea serta dabit
 Cuique facis similem Franciscus me arte Petrarcha
 Ista immortalis nomine semper erit.
 Francisco similis non sum, sed numina uatum
 Insequor et doleo quod mihi tempus abest 10
 Pieridesque negant nostros intrare penates
 Et mihi surrepta est fluminis unda sui.
 Sed si forte meis precibus tractabilis unquam
 Phoebus erit, tecum carmina multa canam.

Ad eundem

Pollicitis seruare fidem quia conuenit, ista
 Littera promissi sit tibi parua caput.
 Conuenimus, Nicolae, simul dare carmina saepe
 Alternis uicibus; carmina multa dabo.
 Tuque, precor, simile facias ut foedera nobis 5
 Sint paria et pariter fistula nostra canat.
 Viuimus unanimis, similes in amore, benignus
 Atque hilaris nostro est semper in ore iocus.
 Pirithous, Theseus; Phintias Damonque fidelis;
 Nisus et Euryalus nos in amore tenent. 10
 Sed nostra in melius dii uertant fata, sorores
 Clotho colo, Lachesis stamine nos foueant.
 Sis felix, metra et mea quae materna uidebis
 Suscipias, ueniant et tua metra mihi.

Ad eundem

Materna (ut uideo) tibi carmina nostra fuere
 Insipida; et merito; nam mihi cantus abest.
Non mea Francisco est similis uox rauca Petrarchae,
 Non similis Danti, sed rudis usque manet.
Ipse cliens uellem fieri suus; aethera nobis 5
 Et natura negant, sors mihi talis adest.
Sed si forte cupis resonantia metra per orbem,
 Quaere alium, non me; non bene lingua canit.
Non etiam credas quod sint haec carmina sacro
 Missa Helicone mihi. Calliope renuit. 10
Nam mecum turbata dea est quia sacra poesis
 Linquo, iussa notans, crimina, damna fori.
Qualia sint, precor ut mihi dulcis epistola dicat
 Vt sileam uel quod garrula lingua canat.

Pismo Dubrovčanina Nikole Restija Francescu Barbaru (1451)

Sazetak

Jedno od pisama koja su hrvatski autori upućivali slavnim humanistima jest ono dubrovačkog plemića Nikole Restija, poslano 11. siječnja 1451. istaknutom mletačkom političaru i humanistu Francescu Barbaru (1390-1454). Pismo je sačuvano u dva rukopisa (San Daniele del Friuli, Biblioteca Guarneriana 28 i BAV, Vat. lat. 5220), a objavio ga je Angelo Maria Quirini u svojoj zbirci Barbarovih pisama (1743). Nikola Resti (oko 1418-1454), studirao je pravo u Padovi 1439; po povratku u Dubrovnik bavio se trgovinom, izvozeći s Balkana platno u Veneciju (poslovni mu je partner bio Vuk Bobaljević). U pismu Resti javlja Barbaru kako ga je hvalio kod Janka Hunjadija i Đurđa Brankovića; saznajemo da je Dubrovčanin svojedobno (vjerojatno oko 1442) čitao zapise o Barbarovoј obrani Brescije (*Commentarioli Brixiensis*). Resti moli od Barbara pismo kojim bi se mogao pohvaliti kod sugrađana, i moli pomoći u pribavljanju primjeraka *De re uxoria* i spomenutih *Commentarioli Brixiensis*, najvjerojatnije posredstvom Francescova sina, Zaccarije Barbara. Povijesni kontekst pokazuje da je pismo prvaku mletačkog senata moglo imati i izvjesnu političku dimenziju: u to vrijeme Đurđ Branković i Stjepan Tomašević saveznici su Dubrovnika u sukobu sa Stjepanom Vukčićem Kosacćom. Stilski i retorički, pismo je kompetentan primjer nagovora (*suasorium*) kojim mlađi traži uslugu starijega i uglednijeg. Pojedine neobičnije Restijeve latinske izraze nalazimo i kod drugih pisaca (de Diversi, Petar Kružić, Petrarca). Izostanak antičkih primjera, grecizama i rjeđih latinizama objašnjavamo ne toliko Restijevom neukošću, koliko manjkom vremena za *studia humanitatis*. U prilogu donosimo tekst pisma prema Quirinijevu izdanju i Restiju upućene epigrame Lorenza Regina, dubrovačkog kancelara od 1449. do 1471, prema Rešetarovu izdanju.